In nomine domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quia tunc multis errorum et
dubiorum prudenter occurrimus dispendiis dum gesta etatis nostre literarum apicibus et testium annotacione
perhennamus. Proinde Nos Wladislaus dei gracia Rex Polonie necnon Terrarum Cracovie Sando-
mirie Siradie Lancicie Cuyavie Lithwanieque Princeps Supremus Pomeranie Russieque dominus
et heres. Significamus tenore presencium quibus expedit universis tam presentibus quam futuris
presencium noticiam habituris. Quod pensantes pure fidelitatis constanciam et constantem fidei merita
quibus Stanislaus Advocatus Radoschicen nobis complacuit et tanto fidelitatis studio in
posterum prestatiuus poterit complacere horum intuitu volentes ipsum graciarum nostrarum prosequi favoribus
et ad nostra servicia eciam reddere prompciorem Advocacie ipsius Stanislai quam volentes facere
meliorem Aream in Radoschice opido nostro in circulo in quo Cista regalis antiqua posita fuerat
inter domum Stanislai et Stephani opidanorum iacentem et sitam adiungimus annectimus assignamus
damus et largimur donacione perpetua et in evum per ipsum et ipsius legittimos successores et posteros
habendam tenendam utifruendam et perpetuis temporibus pacifice possidendam edificandam vendendam permu-
tandam donandam et in usus suos suorumque successorum beneplacitos convertendam prout sibi et suis succes-
soribus legittimis melius et utilius videbitur expedire [illegible] eundem Stanislaum et ipsius
successores legittimos eiusdem aree veros heredes et legittimos possessores harum quibus sigillum
nostrum est appensum testimonio literarum. Actum in Jedlna feria tercia Carnisprivii Anno domini
Millesimo Quadringentesimo quartodecimo Presentibus ibidem Reverendis in Christo patribus dominis
Nicolao sancte Gneznensis ecclesie Archiepiscopo Alberto Episcopo Cracoviensi necnon Strenuis Nobilibusque
viris Cristino de Ostrolo Castellano Johanne de Tharnow palatino Petro Schaffranecz
Subcamerario Cracoviensi Nicolao de Michalow palatino Sandomiriensi Johanne de Szczekoczin
Lublinensi Floriano de Corithnicza Wisliciensi Castellanis et aliis quampluribus fidedignis Datum
per manus Venerabilis domini domini prepositi sancti Floriani ac Cracoviensis Regni Polonie vicecancellarii nobis sincere dilecti

Relacio Johannis Curopatwa
Castellani Zarnovien

1414.

[illegible]
[illegible]

Antoni Dzieżniak
Antoni Dzieżniak
Antoni Dzieżniak
Antoni Dzieżniak
Antoni Dzieżniak
[illegible]

Conductum ... [illegible] 1664

Poch. 19/63
= Dep. 18/3/500